



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

XI priores dies complectens

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1863

De S. Balthasare Rege.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72708)

EX VARIIS.

3 Januarii inter omissos confudimus cum Urso Patriciaco, sive Badoario, qui in canobio S. Felicis monachus factus vitam sancte exegit; nec ipse tamen, quod quidem sciamus, Caëlitum catalogo ab Ecclesia adscriptus.

Wernerus Episcopus Merseburgensis. Ferrar. Multos hic quidem et graves pro Ecclesiæ defensione labores suscepit; haud remur tamen publice coli.

Commemoratio fit hoc die in ordine Cisterciensi Episcoporum et Abbatum ordinis, ut patet ex Breviariis, et Menologio Chrysostomi Henriquez.

Petrus Confluentinus, monachus in Hemmenrode, Ord. Cisterciensis, Apostolus Livoniae. Chrysostomus Henriquez Kalendarium Cisterciense Divione editum; non produnt an colatur.

Bernardus ordinis Prædicatorum Catanæ in Sicilia, Beatus appellatur ab Octavio Cajetano, et Ferrario. Haud comperimus an colatur.

Ludovicus Potier, Prior Carthusiæ Gandensis. Raysius in Auctario ad Molanum. Non colitur.

Joannes Hortulanus, ordinis Minorum, hoc die obiisse traditur anno 1301. Salmantica, magna opinione sanctitatis. Cujus vitam fusc describit Marcus Ulyssiponensis 3 part. Chronic. lib. 8, decem capitibus, et Joannes Marietta lib. 17, cap. 21, 22, 23.

S. Tatiana Martyr refertur a Galesinio in Notis hoc die. Ea est, de qua XII Januar.

S. Ealredus Abbas Rievallensis. Menardus. Nos XII Januar.

S. Martha, conjux S. Marii, Martyr, refertur hoc die a Silvano Razzi tom. 1, de feminis sanctitate illustribus. Ejus, mariti, ac filiorum Actadabimus XIX Januar.

S. Mairus multis verberibus excruciatu exspiravit. Menæa. Raderus suspiciatur hunc S. Maurum esse,

qui cum S. Papia fustibus cæsus colitur XXIX Januar.

S. Paulus Simplex. Maurolyc. et Martyrol. Germanic. Nos de eo agemus VII Martii.

S. Gregorius Nazianzenus. ms. monasterii S. Martini Treviris, et ms. S. Mariæ Ultraject. At ms. Rhinow. solum habet: Et S. Gregorii Episcopi. De Nazianzeno agemus IX Maii.

S. Beandanus Abbas refertur hoc die a Saussaio, Maurolyco, Martyrologio Germanico, Dorganio, Wion, aliis. Quidam Blandanum vocant. Wion eundem esse censet qui Brandanus, de quo XVI Maii.

David Rex Scotiæ. David Camerar. An sit in Sanctorum aut Beatorum album relatus disquiremus XXIV Maii.

S. Potentini Diaconi, S. Felicii Presbyteri, S. Simplicii militis, Martyrum, ad Steynfeldense monasterium Translatio hoc die consignatur a Carthus. Col. in Addit. ad Usuard. et Martyrologio Germanico. De his agemus XVIII Junii.

S. Salvius, Episcopus Engolismensis, Martyrologium Germanicum. Galesinius vero et alii eum hic cum Ambianensi confundunt, ut dicemus hic ad vitam S. Salvii Ambianensis. Colitur Engolismensis XXVI Junii.

S. Aunarius, Episcopus Antisiodorensis. ms. Florar. Nos XXV Septemb.

S. Egelnotus, Archiepiscopus Cantuariensis. ms. Martyrologium SS. ord. S. Benedicti. Verum Menardus, Wion, Martyrolog. Anglicanum, aliique eum referunt XXX Octob.

S. Melchiades Papa. ms. monasterii S. Martini Treviris. Et certe in ms. nostro de Natalibus Pontificum, mortuus dicitur in Id. Januar. Colitur tamen X Dec.

DE S. BALTHASARE REGE.

XI JANUARI.

Trium Regum
natales:

Supra diximus sanctorum trium Regum Magorum agi quidem die Epiphaniæ memoriam, Translationem celebrari Coloniae XIII Julii, singulorum tamen diversis diebus natalem recoli, Gasparis quidem 1 Januarii, Melchioris VI, Balthasaris XI, quamquam non desunt, qui Melchiorum I, Balthasarem VI, Gasparem, quem tertium inter sanctos illos in viros faciunt, XI venerentur. Ita enim ms. SS. Florarium hoc die: Commemoratio obitus tertii Regis in Oriente, scilicet S. Jaspas, qui obiit anno ætatis suæ cix Molanum in addit. ad Usuardum: Coloniae, obitus Jaspas, tertii Regis, festum duplex. Ferrarius: Coloniae Agrippinæ festum S. Gasparis Magi. Consentit Saussaius in supplemento Martyrologii Gallicani, et Broelmannus infra.

S. Balthasar
ris XI Januar.

2 Secuti sumus martyrologia: antiquum Coloniense excusum ann. 1490, in quo isthæc habentur: In Oriente S. Balthasar Regis et Antistitis; qui hac die obdormivit in Domino, divino sacrificio in ecclesia prius celebrato ac sumpto. Carthus. Colon. in addit. ad Usuardum editis anno 1521. In Oriente S. Balthasar Regis et Episcopi; qui tertius inter tres Magos, hac die obdormivit, divino sacrificio in ecclesia prius celebrato ac sumpto. Eadem fere Martyrologium Germanicum.

Aliorum eo
die commemo-
ratio.

3 In eadem Coloniensi Ecclesia commemoratio fit hoc die omnium trium Regum. Idem Carthusiani Colon. Hoc etiam die, vel secundum aliquos sequenti, festiva memoria agitur trium insimul Magorum. Consentit Martyrologium Germanicum, et quædam Kal. mss. Galesinius VII Januarii in Notis, eo die illorum consignat natalem his verbis: Hoc ipso die agitur etiam dies natalis trium sanctorum Magorum.

4 De hac tum communi trium Regum, tum peculiari S. Balthasaris solennitate, isthæc ex Egidii Gelenii, viri eruditissimi, mss. Fastis Sanctorum Coloniensium,

nobis suppeditavit Joannes Gamansius noster in Id. Januarii: Metropolitana Coloniensis Ecclesia, præsentibus Canonicis Diaconis collegiorum Cunibertini et Mariani in gradibus, et Scabinis Coloniensibus, celebrem agit natalem obitus tertii Regis ex illis tribus Orientalibus Evangelicis Magis, Gentium primitiis, quinquatum Salvatorem cum muneribus adorantur: in cuius honorem totus chorus quasi festivi tripudii signum prodit, quod omnes dextra facem tenentes, diademate hederino, aurichalcho et purpura intexto, coronati, divinis assistant. Reliquis quidem duobus sanctis Magis, in vetustis mss. et ex Ecclesiæ Coloniensis traditionibus, suis emortualis dies adscribitur; videlicet ipsæ hujus mensis Kalendæ, et sexta dies; sed quod universalis Ecclesia illis diebus majoribus festivitatis præpediatur, proprio officio divino non honorantur, atque hic tertius, de quo mss. nostra Martyrologia sic loquuntur: in Idus Januarii, in Oriente S. Balthasar Regis et Antistitis, qui obdormivit in Domino divino sacrificio in ecclesia prius celebrato ac sumpto. Usuardus ms. Philippus Ferrarius hodie de S. Gaspare habet multa. Ipsis Evangelicis Magis L. Flavius Dexter martyrii palmam tribuit. In vetustis rituum sacrorum libris dicitur, hodie in obitu tertii Regis tripudium esse.

Hujus diei Co-
loniæ celebri-
tas.

3 De hoc tripudio et celebritate idem Gamansius ex ms. Calendario Sanctorum Coloniensium Stephani Broelmanni V. CL ista nobis eruit: Celebris natalis est in Metropolitana Coloniensi basilica, non aliis, obitus tertii Regis, qui Gentium primi primitus obtulerunt cum adoratione sua munera. Ut Sancti in Metropolitana eadem Coloniensi Ecclesia in generali Litaniam (Sancti tres Reges orate pro nobis) invocantur, et nocturnos habent Lectionum IX Memorabile, quod pro Lectionibus matutinis basilica Metropolitana tunc canit: Anno Christi Salvatoris LV (opinio an

a

Mors trium Regum et sepultura.

a Passione an a Nativitate) Magos hos, jam Sacerdotes post Evangelizationem, ac velut Episcopos, ad Natalitia concelebrenda in regalem ecclesiam urbis Sewe cum aliis pluribus convenisse, ibique natu majorem, Melchiorum nomine, centum decem et sex annorum, octava Natalis Domini, quae Januarii prima est; inde sexta mensis ejusdem die Balthasarum secundum, suae aetatis annum duodecimum centesimum agentem; mox et tertium Jasarum anno aetatis cix, et singulos quidem peracto liturgiae sacrificio feliciter decessisse: ipsoque in sepulchro, humationis tempore, pluribus aspicientibus, primum secundo dexterum locum, duos medium tertio veneranter cecisse. Cui relationi conscriptis insignis vetus pictura, quae hodieque conspicitur interiori facie muri, quo meridionale latius chori basilicae Metropolitanæ clauditur. Ibi quoque cum habitu Episcopali et infulis depinguntur, velut qui gentibus evangelizarant Asiaticis, quod item etiam coloribus expressum est.

6 Inter ecclesiasticos nostros saepe questionibus jactitatum recordeo, quid sibi velit illud quod in veteri Breviario quoque notatur, ex responsoriis de festo tribus postremum non cani, ut habent notationis verba Propter tripudium. Ubi fabellam alii, quasi quod Capitoline Virgines cum Metropolitanis Canonicis in claustris sanctorum Apostolorum choreas aliquando publice celebrarint, quibus videndis de curtata preces vesperarum. Alii quod pro veteri more Christianorum in signum lætitiæ Natalitiorum festorum, cum cantu ab laicis in ecclesiis tripudium: cui locum dederint breviata preces solitæ. Sicut et hodie pueriles retenti cantus cum tintinnabalis et cantu. Et Hispanorum saltationes festivæ militum hæc in partibus, ac nostratum laicorum multis locis observat consuetudo, more ab Judæis accepto, Judicium libro, cap. ult.

7 Qui primam tenere sententiam, joco credo lepidam dare voluerunt et ridiculam fabulam: præterquam enim quod tripudium in tali loco ac tempore, inter tales personas, longe fines excedat honestatis, et disciplinæ Clericalis, quod notissimum; certum etiam non multos supra centum annos excurrisset, cum Capitoline Virgines, sub S. Benedicti regula, satis areta clausura tenebantur, nondum seculares Canonice factæ. Posterior sententia viris doctis perplacere, si qua moris istius apud nos reperiremus vestigia. Ecquid vero vetat conjicere, tripudium notare festiva cantica Natalitia, quæ de more Ecclesiarum nostratum Natalitiis diebus frequenter ac prolixè, versibus æternis ab choris, tum canentium tum organa musica pulsantium, certatim, ac prolixius hoc die, exaudiuntur: cui bono ac zelo ordinariæ preces aliquantum abscesserit tripudioque tali Christiano locus datus sit? Equidem absque auctore, sola fide mea, nihil asserverim. Et bene habet: etiam majores nostri dum Breviariarum reviderent recudendum, velut impertinens abscederunt.

Quale illud.

8 Hæc Broelmannus. At quod subtimide conjicit, id omnino verum existimamus; nam in vitis Sanctorum aliisque scriptis Ecclesiasticis vox illa Tripudium frequentissime ea significatione occurrit. Unum idem suggestit Gamansius ex historia Translationis S. Ammonis an. Domini 1183, factæ, cui scriptor ipse interfuit, et visa narrans ait: In crastinum, quod erat Dominica intra Ascensionem Christi et Pentecosten, eadem Canonicorum candidata et spectabilis multitudo, Fratrum se conventui devotè immiscuit, ita ut choro dimidiato unam partem Canonici, reliquam monachi adimplerent: ibi cum tanta solemnitate et tripudio, in voce exultationis, Deo et sancto Confessori processionis insignia, ac Missarum solemnia, in communi persolverent, etc.

Tripudium pro júbilo usurpatum.

DE S. HYGINO PAPA.

AN. CHR. CLVI. XI JANUARI. S. Hygini natalis 11 Janu.

Romæ in Id. Januarii agitur natalis S. Hygini Papæ, qui in persecutione Antonini gloriose martyrium consummavit. Ita Martyrologium Romanum. Brevius Bellinus de Padua: Eodem die S. Iginii Papæ et Martyris. Hic composuit Clerum, et distribuit gradus. Consentit Molanus in Addit. ad Usuard. Maurolycus, Galesinius, Florarium, aliique, excusa et MSS. A quibusdam Iginus, a Græcis Υγιος appellatur.

alibi 10.

2 Multi x Januarii eum celebrant, quo die Bedæ excusus, Ado, et MSS. quædam: S. Hygini Papæ, qui sedit Romæ annos 4. Hic constituit Clerum et distribuit gradus. Sepultus est in Vaticano, iv (Beda in) Idus Januarii. Notherus: Iginii Papæ, qui constituit Clerum, et gradus Ecclesiasticos distribuit. Martyrolog. Germanicum: Natalis S. Iginii Papæ; cujus sepultura sequenti die recolitur. MS. Martyrologium Ecclesiæ S. Mariæ Ultrajecti a 500 annis exaratum: Item Yginii Papæ et Confessoris. MS. Martyrol. Ecclesiæ S. Gudilæ Bruxellis: Romæ natale S. Iginii Papæ et Confessoris, qui Clerum componens, officia per gradus distribuit, et ut baptizandum seu confirmandum patrinus levat, constituit. Galesinius quoque in Notis: In Martyrologio Cremonensi, jam inde usque a tempore Alexandri III, Pont. Max. (qui sedit ab an. 1159 ad 1181.) conscripto, fit etiam hoc die de S. Iginio Papa, quem Beda item huic diei in Martyrologio suo adscribit: at de omnium fere scriptorum sententia, et, quod caput est, Breviarii Romani auctoritate, nos in sequenti die adscripsimus.

NOT. 143.

Quando sederit, non omnino constat, uti nec de aliquot ejus avi Pontificibus; quorum ordinandæ aetati diutius immorari, nobis integrum non est. Liber de Romanis Pontificibus a consulatu Magni et Camerini anno

Christi 138, usque ad Orfitum et Priscum sedisse ait, id est an. Christi 149, Antonini Pii II. Interim ei solum annos quatuor tribuit, menses 3, dies 8, manifesto, ac sibi ipsi, aut certe tabulis consularibus contradicente, errore. Catalogus Romanorum Pontificum, Liberii tempore concinnatus: Higinus annis 12, mensibus 3, diebus 6. Fuit temporibus Veri, a consulatu Gallicani et Veteris, usque Præsente et Ruffino. Consules fuere Romulus Gallicanus et Antistius Vetus anno Christi 150. Brutius Præsens II, et M. Antonius Ruffinus an. Christi 153. Atque ita se rursus character Consulium, spatiumque temporis interimunt. Eusebius Pontaci anno I Antonini Pii, Christi 139. Romanæ Ecclesiæ Episcopatum octavus suscepit Hyginus, annis 4. Scaligeri editio: annis 8. Notat Pontacus ab aliis anno 2. Antonini consignari Hygini initium. At diserte rursus Eusebius lib. 4 historiae cap. 10. Telesphoro vero, primo hujus (Antonini) imperii anno, undecimo autem sui ministerii completo, ex hac luce migrante, Hygino Pontificatus Ecclesiæ Romanæ sorte obvenit; Idem omnino Nicephorus habet lib. 3, cap. 25. Verum hos aliosque Græcos calculus sefellit, quod Cletum, Anacleum rati, omiserint, ut notavit Baronius ann. 154, num. 1, qui eo anno Hyginum scribit Pontificem esse creatum; rectius Petavius 152, 13 Januarii; defunctum vero hic 11 Januarii an. 156, ille 158 censet. Abbo Floriac. ait sedisse an. 15, mensibus 3, diebus 4.

4 Mirum igitur non est tantam reperiri in recentioribus Martyrologiis Chronologiæ diversitatem. Martyrol. Germanicum obisse tradit anno Christi 144, MS. Florarium ann. 153. Carthusiani Colonienses persecutione Severi. At Severus 1 Junii anno 193, capessivit Imperium, longo post Hygini mortem intervallo. Veri fortassis scribere auctor voluit; nam et liber de Romanis